

DE DONO LINGUARUM. DISQUISITIO HISTORICO-
EXEGETICA QUAM PRO OBTINENDO LECTORATU GENERALI COMPOSUIT
P. JOSEF TREPAT I TREPAT, O. F. M.

BIBLIOGRAPHIA

Tractatum confeci exegeseos et Traditionis; ideo apparatus auctorum qui a Tridentino usque nos scripserunt omisi; qui tamen in eorum sententias investigare desiderat, citatas inveniet, praesertim protestantes, in opere:

Theod. Simon: Die Psychologie des Ap. Paulus: Göttingen, 1897, p. 114-115.

Post ipsum scripserunt de glossolalia:

Lombard, E.: De la glossolalie chez les premiers chrétiens et les phénomènes similaires: Lausanne, 1910.

Mosiman: Das Zungenreden geschichtl. u. psychologisch untersucht, Tübingen, 1911.

Cf. tractatus: *Lesêtre*: Don de Langues, in Diction. de la Bible, v. IV, p. 74 sq.

Robertson, A. Gift of Tongues, Dict. of the Bible, by Hastings; v. IV, ed. 3, p. 793 sq.

Fonck, L.: Charisma, Lexicon Bib., Hagen: v. I, 848 sq., Paris, 1905.

Corluy: Langues dans la primitive Eglise, Dict. Apol. de la foi cath. ed. 3, p. 1785-800; 4 ed. v. II p. 1810-19.

Seisenberger: Charismen, Wetzter's u. Welte's Kirchenlex. ed. 2. v. III, p. 81 sq.

Prat, Fr. X.: La Théologie de S. Paul v. I, ed. 7, Paris, 1920, p. 150-57; 502-503.

Cf. etiam, Revue Biblique, 1898, p. 329 sq. (Vigouroux); et Biblische Zeitschrift, 1924, p. 269 sq. (B. Hänsler).

De charismatis et charismaticis, relate ad glossolalam, cf.

Gunkel: Die Wirkungen d. Hl. Geistes... Göttingen, 1888; ed 3, 1909.

Reinhard. W.: Das Wirken d. Hl. Geistes... Freiburg, 1919.

Cellini, can. Ad.: Carismi e carismatici nel cristianesimo primitivo, in periodico *Scuola cattolica* a. 47 (1919); v. I, p. 105 sq. 219 sq. 300 sq. 446 sq. 490 sq.

Maréchaux, B.: Les charismes du S. Esprit, Paris, 1921.

Moran, W.: Charismatic ministry in the primitive Church; in *Ir. Theol. Quart.* 1922, p. 48-55; 101-111

Bösenberg, Fr.: Die Gaben u. Kräfte d. Hl. Geistes; bib. Studie über 1 Kor. 12-14. Leipzig, 1922.

Eichler, F.: Die Geistesgaben nach der Schrift; Berlin, 1922.

INTRODUCTIO

Status quaestionis.

In prima Pentecoste christiana, Spiritus s. de coelo descendens replevit discipulos Christi simul in Coenaculo congregatos, qui statim "coeperunt loqui aliis linguis magnalia Dei": quibusdam e plebe accurrente demirantibus prodigium, quibusdam autem eos ludibrio afficientibus quasi vino ferventes.

Huiusmodi dissensus in iis qui phaenomenon considerant, fluxu temporis renovatus est; et dum catholici illud simpliciter miraculum et Dei donum appellant, acatholici quam plurimi id negant, naturali, diverso tamen, modo rem explicant; quinimmo inter ipsos catholicos non una semper, quoad puncta secundaria viguit sententia; sed et quo ad substantiam rei longius aequo recenter processerunt nonnulli.

Nostrum non est, iuxta limites disquisitioni praefixos, sententias acatholicorum recensere, ne dicam refellere; nec integrum elenchum opinionum inter catholicos vigentium conficere; tamen ut oportunitas tractatus commendetur, iuvabit obiter notare theorias parum fundatas nonnullorum, tum plebis tum scriptorum hagiographiae et exegeteos. Ex eo quod plures sancti ad praedicandum dono linguarum instructi apparuerint (1), voluerunt etiam pro apostolis identice intelligendum esse (2), item in primis statuerunt theoretice possibile fuisse Apostolis aramaica lingua loquentibus, omnes audientes propriam intelligere (3); paulatim id revera accidisse, littera textus s. reiecta admittebant (4).

Immo dolendum, paucos exegetas catholicos ad placita acatholicorum, alia tamen via, recenter accessisse, vel sententias fundamento privatas ad-

(1) Cf. vg. *Breviarium Romano-Seraphicum*, de S. Franc. Solano, 12 Iulii; Laurentio a Brundusio, 22 Iulii; Franc. Xaverio, 3 Decembris etc.

(2) *Gaume, Traité du St. Esprit*, ed. 2. Paris, 1864, pag. 197; 215.

(3) Cui opinioni vulgi iam alludebat Greg. Naz. (v. infra n.º 4).

(4) *Ernaldus Bonnavallensis* (v. infra n.º 34); *Hergenröther-Belet, Histoire de l'Eglise*, ed. 2, v. I p. 175, Paris, 1901, ut probabilem admittit.

mississe, e. g. hypothesin linguae primigeniae, e radicibus verborum omnibus linguis communibus efformatae, quam facile auditores omnes intelligere potuerint (5), vel in Act. 2 agi de linguis peregrinis, non vero in Act. 10. 11; 19; nec 1 Cor. 12-14 (6).

Exemplum huiusmodi exegeseos typicum habes ea quae A. Cellini nuper scripsit in periodico *Scuola cattolica*, a. 1920 (l. c.). Auctor, traditis notionibus de charismatis, proprias ideas sic evoluit (p. 449 sq.): 1) glossolali sermo non ex solis interiectionibus constabat, sed vocibus sensum et ideas exprimentibus. — 2) verbis glossolali, tamquam personae vehementer commotae, comitabantur gestus vividi semper vel fere semper. — 3) denique, saepe nec ipse nec adstantes sensum intelligebant. — 4) Sed quare non intelligebatur oratio glossolali? Volunt plures auctores veteres et recentes hoc evenisse quia glossolalus utebatur *idiomate peregrino sibi aliisque ignoto*; non videtur tamen hoc admittendum, nam a) repugnat admittere in coetu v. g. graeco-hebraico, improvise glossolalium erumpere idiomate persico vel syro; ad quid si huiusmodi idioma erat sibi aliisque ignotum? — Non sunt multiplicanda miracula absque necessitate, nec in s. Scriptura; ideoque loco dicendi "*parlare idiomi stranieri*" melius diceres "*parlare lingue strane*", "*il glossolalo... usava un linguaggio di nuovo conio, in altri termini, un modo d'esprimersi affatto nuovo, peregrino ed inusitato*" ib. p. 452-3. — b) In 1^o textu de glossolalia, Mc. 16, 17, non dicitur "loquentur linguis *alienis*" sed "*novis*"; gr. $\kappa\alpha\iota\ \nu\acute{o}\varsigma$ non idem valet ac $\xi\ \nu\acute{o}\varsigma$ "*straniero, forastiero*"; sed opponitur $\tau\tilde{\omega}\ \pi\lambda\alpha\iota\omega$, et aequivalet $\tau\tilde{\omega}\ \nu\epsilon\omega$. — Paulus quinquies (1 Cor. 14, 2, 4, 13, 14, 27.) dicit "loqui lingua", quod inepte significaret locutionem in linguis peregrinis; insuper comparat glossolaliam sermoni facto lingua ignota (1 Cor. 14, 10-11.), sed si comparat, sunt res diversae. Ergo si glossolalus non intelligebatur, hoc pendet unice a suo statu psychico, quo conscientiam sui, partim saltem, amittebat, voces proferebat auditas quidem, non autem intellectas a praesentibus: "il glossolalo... pur parlando nella lingua comune, esprimeva però in maniera per nulla comune, dei sensi altissimi, arcani, misteriosi, e naturalmente incomprendibili, i quali nondimeno sarebbero stati compresi, a Dio piacendo, mediante la spiegazione di chi aveva il dono d'interpretarli". — 5) Triplex casus narratur in Act. 2; 10-11; 19: casus Hierusolymitanus, Caesariensis, Ephesinus. In casu Ephesino nec insinuat quidem Lc. discipulos locutos fuisse linguis peregrinis; item dic de Caesariensi; Petrus utique eum cum Act. 2 identificat, sed solum quoad donationem Spiritus s.; casus Hierusolymitanus quaedam specialia prae se fert,

(5) *Bisping*, Erklärung d. 1. und 2. Briefes an d. Kor., ed. 3, Münster, 1883; *Kaulen*, Die Sprachverwirrung zu Babel, c. 19, Mainz, 1861.

(6) *Felten*, Die Apostelgeschichte... p. 76, Freiburg, 1892; *Belser*, Theol. Quartalschrift, 1895, p. 8 sq.; *Copleeters*, De Historia textus Act. Apost., p. 113 sq. Lovanii, 1902.

nam dicitur, Act. 2, 4 λαλεῖν ἑτέροις γλώσσαις, quod etsi fere omnes intelligunt de linguis peregrinis, posset etiam simpliciter significare “parlare un linguaggio insolito, strano” ib. p. 496. Tamen “propendo” ad sententiam quae admittit revera apostolos tunc locutos fuisse linguis peregrinis: in Hierusalem tale prodigium decebat ob multigenam plebem, non vero Corinthi, Caesareae, Ephesi. 6) Glossolalia igitur posset definire: “... tutti o quasi tutti convengono nel riconoscere che la glossolalia consisteva in una sovrabbondanza di vitalità spirituale, onde restava più o meno arrestata la funzione normale de la mente; in un assorbimento del pensiero abituale, quasi perduto in una specie di contemplazione inconsciente, accompagnata o seguita da gesticolazione tanto animata, da rassembleare le mosse di un uomo trasportato dall'estro poetico, ovvero quello di un uomo farneticante”.

Hucusque theoria Cellini quae, ut paucis dicam, reducit glossolaliam ad phaenomenon pathologicum; et si logice auctor processisset vix in ea quidquam supernaturale remaneret.

Quae cum ita sint apud ipsos catholicos, abs re non videtur quaestionem et historice et exegetice perpendere; quo probe noscamus quid sententia maiorum, quid Scriptura ipsa de dono linguarum tradiderit.

Notiones praeviae de charismatis

I. Χάρις et χάρισμα. — Quoniam de dono supernaturali — ut probabitur — agimus; nonnulla de huiusmodi donis praemittenda sunt. Vox technica, iam usu sacra, ad Dei dono designanda est *gratia*, χάρις: quae tamen in libris sacris plures praebet sensus: pro venustate corporis, ps. 44, 3., sermonis Eccli. 21, 19.; benevolentia qua quis gaudet apud Deum Gn. 6, 8, Lc. 2, 40; vel apud homines 2 Sam. 15, 20. — Sensus praecipuus, in S. Paulo frequens, est pro “dono Dei homini concesso spontanee in ordine ad aeternam salutem”. Cf. Rom. 3, 24; 5, 20; 2 Cor. 12, 9; Gal. 2, 21; Eph. 1, 6, etc.

Theologice haec gratia definitur “donum Dei supernaturale ac indebitum, concessum homini ad animae sanctificationem salutemque aeternam”. Quoad nostrum obiectum, distinguitur in gratiam “*gratum facientem*” et “*gratis datam*” prout datur ad utilitatem directam individui recipientis vel totius Communitatis fidelium. In hac distinctione, gratia “*gratis data*” nomen proprium accepit iam a S. Paulo, sc. χάρισμα (etsi aliquando equivalence gratiae in sensu priori, v. g. 1 Cor. 7, 7; Rom. 1, 11; 9, 4), et definitur “*gratia extraordinaria alicui in aliorum utilitatem data*” (7), vel “*eximiae*

(7) Zorell, Lexicon Graecum N. T. h. v.

facultates quibus quidam Christiani excellunt civitatis christianae prosunt" (8).

Donum linguarum esse *charisma* in ultimo sensu, omnes admittunt, et infra patebit.

Haec doctrina communis est inter theologos: cf. *Albertus Knoll a Bulsano*, *Theologia Dogmatica*, ed. 7. Taurinensis, 1883; v. IV, p. 6 sq.; *Hurter*, *Theol. Dogm.*, ed. 9, Oeniponte, 1896, v. III, p. 5-10; cf. etiam *S. Thomam*, I. 2.^{ae} q. III. a. 1; *S. Bonav.* in II Sent. d. 26 [Opera Omnia, II, 629-49]; *Montaigne*, De Gratia... in *Migne*, *Cursus Theol.* v. 10, p. 11-29; 45-52.

II. *Charismatum effusio in Ecclesia primitiva; quare postea evanuerunt*

"Spiritus Dei ferebatur" super primos fideles eos dirigens, illuminans, atque dona sua mira largitate in eos profundens. De quo tum biblica tum ecclesiastica testimonia testantur. Sic, in Actibus Apostolorum, Evangelium Spiritus s. vocatis, videmus Spiritum, quem Iesus discipulis promiserat, replentem eos 4, 8, 31; 6, 3-5, 10, 55; 11, 24; corpus Ecclesiae vivificantem 9, 31; 13, 52; ministros seligentem 13, 2, 4; ipsis suggerentem quid in dubiis agendum 8, 29; 10, 23; 11, 12; 15, 28; 19, 21; 20, 23; praesentiam suam clare manifestantem 2, 10, 11, 19, 1-7: immo apostoli ipsi conscientiam habebant se a Spiritu s. duci 5, 1 sq.; 15, 28.—Quo ad testimonia ecclesiastica, unus audiatur Eusebius, qui in sua *Hist. Eccles.* saepius memorat christifideles variis charismatis ornatos: de Quadrato, ib. 3, 37; de Polycarpo, 4, 15; de S. Justino, 4, 18 *ἡραρεῖ ὡς ἔτι μέχρι καὶ αὐτοῦ χαρίσματα προφητικά διέλαμπεν* (cf. *Iust. Dial. c. Trph.* 7, 39, 82); de Polycrate, 5, 24: *τὸν ἐν ἀγίῳ πνεύματι πάντα πολιτευσάμενον*; de S. Irenaeo, 5, 7 (cf. infra n. 1 eius verba).

Quaenam ratio huius mirae primaevae proffusionis, et quare nunc non amplius dantur? Respondeo breviter cum S. Gregorio M. "Haec necessaria in exordio Ecclesiae fuerunt. Ut enim fides cresceret miraculis fuerat nutrienda, quia et nos cum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus quousque ea in terra coaluisse videamus; et si semel radicem fixerint in rigando cessamus" (cf. infra, n. 28).—Cum S. Ioanne Chrys. "Cur igitur subducta est et ex hominibus sublata nunc illa gratia?... Stolidiores erant tum temporis homines, non ita pridem ab idolis abducti, ac porro crassior et stupidior mens illorum erat, omnibusque corporalibus intenti erant et addicti, nequedum incorporea dona illis in mentem venerant, neque noverant

(8) *Grimm*, *Lexicon graeco-latinum* h. v.

quid esset gratia spiritualis, quaeque sola fide percipitur: idcirco signa fiebant..." (cf. n. 6).

Aliqui exegetae magis determinant: id fuerit a) ob defectum perfectae organisationis hierarchiae; b) ne fideles ethnico-christiani inter tot adversitates deficerent et redirent ad mysteria gentilica (quibus alludit Paulus I Cor. 12, 2); c) et ne iudaeo-christiani reverterentur ad splendidum cultum Templi.

Sed hae rationes simul indicant quare sensim evanescebant, quia sc. causae illae non amplius urgebant: sic s. III iam Origenes fatetur suo tempore vestigia tantum charismatum remanere; et s. IV S. Chrysostomus refellit obiectiones circa totalem defectum signorum; item postea Augustinus (cf. eorum verba nn. 6, 19).

De tota hac quaestione cf. *Novatianum*, presb. romanum (a. 257?) in suo libro *De Trinitate*, c. XXIX, Migne P. L., 3, 972.

Textus

Adhibui et C. Tischendorf, *Novum Testamentum graece*, ed. 8 critica maior, Leipzig, 1869-72; collatam cum Eb. Nestle, *N. T. graece*, ed. 7. Stuttgart, 1908; H. Vogels, *N. T. graece*, Düsseldorf, 1920; sed notandum has editiones nullam divergentiam alicuius momenti dare quoad textus in thesi praecipue discutiendos nempe Act. 2, 1-13; 10, 44-47 (11, 15-17); 19, 5-6; I Cor. 12, 10, 28, 30; 13, 1, 8; 14; item Mc. 16, 17, cuius tamen authenticam negat Tisch., Nestle dubiam relinquit.

PARS PRIMA: HISTORICA

Quid de glossolalia doceat Traditio:

- I) Patres et Scriptores graeci veteres.
- II) Patres et Scriptores latini veteres.
- III) Scholastici usque ad Tridentinum.
- IV) Compendium Traditionis.

Antequam glossolaliam exegetice discutiamus, primum in ea aspectum iuvabit explorare, nempe quomodo decursu temporis intellecta fuerit, sed praesertim aevo apostolico proximioris: ubi procedendum erit duplici via,

analytica, synthetica, ut ex singulari cuiusque auctoris examine ad iudicium complexivum pertingere possimus.

Ex Patribus et veteribus, quos invenire potui omnes notavi; ex scholasticis, praecipuos quos de hac re egisse investigavi: alii plures coevi et recentiores ab illis pendere solent. Post tridentinos autem auctores qui Act. vel I Cor. interpretati sunt, numerare ne dicam resumere, nemo facile potuerit: nec necessarium erat, nam quid Traditio docuerit, in Patribus et antiquis potissimum est quaerendum, non in recentioribus.

Textum latinum exhibeo ut in *Migne*, Pat. Lat.; itemque versionem ex graeco, ut in Patr. Graeca; in quo secundo casu paginae respondent ipsi textui graeco: singuli scriptores in respectiva Patrologia latina vel graeca quaerendi sunt; ideo sufficiet scribere M(igne) cum numero *crassiore* voluminis, *minore* columnae.

Unicuique auctori subnectitur eius sententiae brevis indicator, quo facile apparet quid ex textibus transscriptis erui potest: *Linguae peregrinae*, si PP. interpretantur de vero idiomate, ipsi loquenti prius ignoto. — Act. 2 = I Cor. 12-14 si phaenomenon glossolaliae pro identico substantialiter habetur in utroque scripto. — *Miraculum oris vel auditus*, ut notetur utrum revera apostoli ipsi locuti fuerint linguis alienis, vel ipsis unica aramaica lingua loquentibus, audientes diversarum gentium propriam intelligerent, latinam Romani, arabicam arabes, etc. — Amant PP. opponere confusione linguarum in Babel, unionem ipsarum in Pentecoste: quod signo inversionis > expressi.

Caetera patent.

I. PATRES ET SCRIPTORES GRAECI VETERES

1. *Irenaeus*, S. (post 180; 203?)

Adv. Haer., III, 12, 1: M. 7, 892: Post citatum Joelem, 2, 28, addit: "Deus igitur qui per prophetam promisit missurum se Spiritum suum in humanum genus, ipse et misit ei; et ipse Deus a Petro anuntiatur suam promissionem adimplisse".

Adv. Haer., III, 17, 2: M. ib. 929-30: "Quem [Spiritum] et descendisse Lucas ait post ascensum Domini super discipulos in Pentecoste, habentem potestatem omnium gentium ad introitum vitae et adapertionem N. Testamenti: unde et omnibus linguis conspirantes, hymnum dicebant Deo, Spiritu ad unitatem redigente distantes tribus, et primitias omnium gentium offerente Patri".

Adv. Haer. V, 6, 1: M. ib. 1137: "...Apostolus ait "sapientiam loquimur inter perfectos [1 Cor. 2, 6]", perfectos dicens eos qui perceperunt Spiritum Dei, et omnibus linguis locuntur per Spiritum Dei, quemadmodum et ipse loquebatur. Quemadmodum et multos audi[vi]mus fratres in Ecclesia, prophetica habentes charismata, et per Spiritum universis linguis loquentes, et absconsa hominum in manifestum producentes ad utilitatem... Καθώς καὶ πολλῶν ἀκούομεν ἀδελφῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, προφητικὰ χαρίσματα ἐχόντων καὶ παντοδαπαῖς λαλούντων διὰ τοῦ Πνεύματος γλώσσαις..." [Quem textum tradit Euseb. *Hist. Ec.* V, 7: M. 20, 448; quoad sensum praesentis ἀκούομεν cf. L. Fonck. op. c. p. 839, contra illos qui de re praeterita agere Irenaeum contendunt].

1. Linguae peregrinae. — 2. donum Sp. sancti. — 3. signum unitatis gentium. — 4. suo tempore dabatur adhuc glossolalia.

2. Origenes (254-5).

Contra Cels. I, 46: M. 11, 745: "...Quin etiamnum apud Christianos nonnulla supersunt illius Sp. sancti, qui columbae specie apparuit *vestigia*".

Contra Cels. VII, 8: M. ib. 1432-3: "Signa autem Sp. sancti exstiterunt sub initium praedicationis Iesu, plura post eius assumptionem, postea pauciora. Huius tamen vestigia (ἔχνη) etiamnum sunt apud paucos, quorum animae doctrina Christiana agendique ratione huic doctrinae consentanea purgatae sunt".

In Gen. 11, 7: M. 12, 112: "...malitiae indicium confusio linguarum, virtutis vero indicium quando erat omnium credentium cor et anima una". — *In Exod. hom.* XIII, 2: M. ib. 388: citans 1 Cor. 13, 1, addit: "Ita ergo loqui linguis, et interpretari ex alia in aliam linguam, aeris oblatio est". — *Ex fragment. in Proverb.*: M. 13, 25: "...noli autem mirari si modo non reperiatur sapiens secundum Deum. Pleraque enim eximia charismata defecerunt ut nulla plane vel rara admodum reperiuntur". — *In Rom.* 1, 13: M. 14, 860: "Requirendum nunc est quomodo Apostolus Graecis et barbaris, sapientibus et insipientibus debitor est. Quid enim ab ipsis acceperat unde eis debitor fieret? Arbitror diversis quidem gentibus inde eum effectum esse debitorem, quod omnium gentium linguis eloqui accepit per gratiam Sp. sancti, sicut et ipse dicit: "omnium vestrum magis linguis loquor" [1 Cor. 14, 18]. — Quia ergo linguarum notitiam non pro se quis, sed pro his quibus praedicandum est accipit, debitor omnibus illis efficitur quorum accepit a Deo linguae notitiam".

1. Linguae peregrinae. — 2. ad praedicandum. — 3. donum Sp. s. — Pentecotes > Babelis. — 5. suo tempore adhuc vestigia inveniebantur charismatum. — 6. Act. 2 = 1 Cor. 12-14.

3. *Cyrillus Hierusolymitanus, S. (386).*

Catechesis, 14, 7: M. 33, 832: "Et quis iste est [Chtus.], quodve eius resurgentis signum? Evidenter in consequentibus, in ipsa prophetici contextus serie dicit: "quia tunc convertam super populos linguam" [Soph. 3, 9], siquidem post resurrectionem misso Sp. sancto data est gratia linguarum "ut serviant Dno. sub iugum unum" [Soph. 3, 10].

Catech. 17, 16: M. 33, 988-9: — ad Act. 2, 4: "Galilaeus Petrus et Andreas vel persicè vel medicè loquebatur. Ioannes caeterique apostoli quavis lingua loquebantur, iis qui ex [variis] gentibus erant;... Tot insumuntur anni ut per Grammaticam et alias artes Graece solummodo recte loqui addiscatur... At Sp. sanctus simul multas docuit linguas quas illi homines toto tempore [aetatis] non noverunt. Hoc vere sapientia magna est, hoc virtus divina. Quae institui comparatio potest, inter illam eorum post multum tempus imperitiam; hancque repentem, multiplicem ac inauditam linguarum se exserentem vim?"

1. Linguae peregrinae. — 2. donum Sp. sancti. — 3. signum unitatis gentium.

4. *Gregorius Nazianzenus, S. (390).*

Orat. 41, 15-16: M. 36, 449, 452; n. 15: "At vero linguis externis, non autem vernaculis apostoli loquebantur, singularique miraculo sermo ab his qui non didicerant, proferebatur; signumque illud infidelibus erat, non fidelibus, ut infidelium accusator esset, sicut scriptum est: "quoniam in aliis linguis et in labiis aliis loquor populo huic, nec sic exaudient me, dicit Dominus" [Isai. 28, 11]. Audiebant autem. Verum hic paululum consiste, atque ambige quomodo distinguenda sit oratio. Textus enim nonnullam ambiguitatem habet, interpunctione dirimendam. *Utrum* enim audiebant sua quisque dialecto, ita ut v. gr. vox quidem una emitteretur, multae autem audirentur, sic videlicet pulsato ac perstrepente aere, pluribusque vocibus, et ut magis perspicue dicam ex una voce effectis: *an* potius in hoc verbo *audiebant* punctum statuendum est; atque haec verba, *loquentes suis linguis*, cum his quae secuntur iungenda sunt, ut sic legatur, *loquentes linguis*, propriis sc. audientium, h. e. *externis*: qui etiam sensus mihi magis arridet. Nam *in primo* quidem *sensu*, eorum potius qui audiebant quam qui verba faciebant, hoc miraculum fuerit; *in isto* autem, eorum qui loquebantur; utpote qui etiam temulentiae insimulabantur, haud dubie quia ipsi Spiritus operatione novum quoddam miraculum circa voces designabant". — in n. 16: "...quamquam autem laudabilis quoque fuit vetus illa linguarum divisio [Gen. 11]...; laudabilior tamen est ea quae nunc insigni miraculo patrat. Ab uno enim Spiritu in multos diffusa, ad unum concentum rursus connectitur".

1. Linguae peregrinae. — 2. *ex solo textu* posset admitti *miraculum auditus*; tamen praefert *miraculum oris*. — 3. Pentecostes > Babelis. — 4. ad correptionem infidelium.

5. *Gregorius Nyssenus, S. (post 394).*

Oratio de Sp. sancto: M. 46, 698: "Illi ergo Parthos, Medos et Elamitas, ac reliquas gentes alloquebantur, ad quarumlibet earum linguas voces suas pro libitu accommodantes. At ego, ut inquit Apostolus [1 Cor. 14, 19] malo, sensu meo, quinque verba loqui in Ecclesia, ut aliis etiam prosim, quam decem millia verborum in lingua. Verum tunc quidem multum profuit, apostolorum vocem aliarum gentium linguis aptari, ne praeconum linguam ignorantibus Evangelii promulgatio incassum fieret; nunc autem quoniam una eademque lingua utimur, igneam debemus Spiritus linguam exquirere..."

1. Linguae peregrinae. — 2. Act. 2 = 1 Cor. 12-14. — 3. ad praedicandum. — 4. miraculum oris.

6. *Ioannes Chrysostomus, S. (407).*

Quod Chr. sit Deus, 7: M. 48, 822: "Et quomodo illos omnes [populos], dicet quispiam, attraxerunt apostoli? Qui nonnisi unam linguam habebat, nempe iudaicam, quomodo Scytham, indum et Sauromatam docere potuit? Accepto nempe per Sp. sanctum linguarum multarum dono". Iudaeos vero, dicit, hoc prodigium non attraxisse, sec. quod scribit Isai. 28, 11.

De Pentec., hom. 1, 4: M. 50, 459-60: "Cur igitur dicet aliquis, nunc signa non fiunt? Hic mihi vos animum diligenter attendite; a multis enim et frequenter et semper hanc mihi propositam audio quaestionem: quare tum linguis loquebantur omnes qui baptizabantur, iam vero non item [gr. *ὅν δὲ ὁἰκοῦν*]? Discamus prius quid sit loqui linguis, ac deinde causam dicemus. Quid igitur est loqui linguis? Qui baptizabatur, statim lingua loquebatur Indorum, Aegyptiorum... ac vir unus multas linguas assumebat; et isti nunc si baptizati tum fuissent, statim illos diversis linguis loquentes audisses... Cur igitur subducta est, et ex hominibus sublata nunc illa gratia?... Stolidiores erant tum temporis homines, non ita pridem ab idolis abducti, ac porro crassior et stupidior mens illorum erat, omnibusque corporalibus intenti erant et addicti, nequedum incorporea illis dona in mentem venerant, neque noverant quid esset gratia spiritualis, quaeque sola fide percipitur; idcirco signa fiebant... At illi tum non credebant nisi signum acceperant; propterea signata tamquam pignus quoddam fidei, qua credebant, illis dabantur. Itaque non ut fidelibus sed ut infidelibus dabantur signa, ut fierent fideles; sic etiam ait Paulus [1 Cor. 14, 22]..."

De Pentec., hom. 2, 2: M. 50, 467: "In specie linguarum Sp. sanctus advenit, singulis orbis terrarum regiones docendas distribuit;... Cum (enim)

olim homines superbia elati turrim exstruere voluerint quae ad coelum usque pertingeret, et invecta divisione linguarum pravam illorum editionem et concordiam dissiparet Deus, idcirco nunc quoque in specie ignearum linguarum ad eos advolat Sp. sanctus ut per illum orbem terrarum divisum coniungat”.

De utilit. lect. Scriptur., 4: M. 51, 92: Iterum explicat, ut supra [*hom. 1, 4, de Pentec.*] quare charismata evanuerunt; et addit: “Qui enim unicam a natura linguam habebat, beneficio gratiae variis ac differentibus linguis loquebatur; ac videre erat hominem, numero quidem unum, varium autem donis, ac diversa possidentem ora, diversasque linguas”.

In I Cor. hom. 29; 35; 36: M. 61, 239; 295; 305.

—*hom.* 29: “Quid ergo tunc contingebat? Si quis baptizaretur linguis statim loquebatur, et non linguis tantum, sed etiam multi prophetabant, quidam vero alias multas virtutes exhibebant... baptizati statim Spiritum accipiebant, Spiritum vero non videbant, invisibilis cum sit; dabat gratia sensile quoddam argumentum illius operationis; aliusque Persica, alius Romana... lingua loquebatur; et hoc externis [*τοῖς ἐξώθεν*] notum faciebat Sp. sanctum in ipso loquente esse... Quia enim apostoli hoc primum signum acceperunt, fideles quoque acceperunt linguarum donum; neque hoc solum, sed et alia plurima. Nam et mortuos multi suscitabant et daemonia pellebant... Magis autem quam alia omnia apud illos erat donum linguarum”.

—*hom.* 35: “Cur ergo ante alia [charismata] illud [linguarum] acceperant apostoli? Quia per omnes orbis partes pervasuri erant; et sicut in tempore quo facta est turris, lingua quae erat una dividebatur in multas; ita nunc quae erant multae saepe ibant ad unum hominem...”

—*hom.* 36: *In I Cor.* 14, 22: “In signum h. e. ad stupefaciendum, non adeo autem ad instituendum”. “Neque infidelibus utile quid est lingua: unum enim est eius opus ac munus, obstupefacere solum ac conturbare” “...est enim eis solum in signum, h. e. tantummodo ut obstupescant”.

1. Linguae peregrinae. — 2. *Act.* 2 = *I Cor.* 12-14. — 3. ad praedicandum. — 4. donum Spir. sancti. — 5. signum eius praesentiae. — 6. Pentecostes > Babelis. — 7. scopus glossolaliae “obstupefacere solum ac conturbare” infideles (9). — 8. miraculum oris.

7. *Constitutiones apostolicae* (s. IV-V, sed potius initio V) (10) M. P. G. 1 (inter opera dubia S. Clem. Romani).

Lib. VIII, 1: M. 1, 1061-5: “Deus et Salvator noster I. C. ...ait de charismatibus, quae ipse per Spiritum dedit: signa autem eos qui credi-

(9) Semel tamen “ut convertantur”.

(10) Cf. O. Bardenhewer, *Patrologia*: versio hispanica P. Solà S. I.: Barcelona, 1910. p. 360.

derint haec sequentur... [Mc. 16, 17-18]. Quae charismata seu dona prius quidem nobis apostolis tradita sunt, qui omni creaturae praedicaturi eramus Evangelium; postea vero necessario iis qui per nos crediderunt, praebentur, non ad utilitatem ea operantium, sed ad infidelium assensionem, ut quibus non persuasit sermo, hos virtus signorum flectat et pudore afficiat. Signa enim non nobis fidelibus eduntur, sed infidelibus... Non ergo necesse est ut omnis fidelis... linguis loquatur, sed is qui charismate dignatus est propter aliquam causam utilem ad salutem infidelium qui saepe non sermonum [M. legit sermonem] demonstratione, sed signorum operatione commoventur, quippe digni sunt salute [gr. ἀξίων ὄντων σωτηρίας = ii qui digni sunt salute], non enim omnes impii miraculis convertuntur... Si (enim) detur ut nullus amplius sit infidelis, superflua deinceps erit omnis signorum operatio”.

1. ad praedicandum. — 2. ut infideles pudore afficiat, quo medio convertantur.

8. *Cyrillus Alexandrinus*, S. (444).

Glaphyrorum in Gen. l. 2: M. 69, 80: “... iratus est eis qui turrim aedificabant Deus et in multas eos linguas divisit... Caeterum in Chto. varietas linguarum bonum signum erat”. — alludens ad Act. 2, 4: “Quid vero loquebantur? Suppeditante ipsis Spiritu aditum ad superna et ascensum in coelos in Christo per fidem, omniumque per universum orbem terrarum linguarum sive populorum sive gentium in unitatem concursus in Spiritu... Quocirca varietas quidem linguarum in turri signum erat dissipationis ac profugationis in omnes gentes; in Christo vero signum concursus in unitatem per Spiritum et accessus ad coelum”.

Comment. in Ioël proph. 35: M. 71, 377: alludens ad Act. 2: “Prophe-
tabant igitur quavis lingua loquentes, quod ipsum quoque a Deo sanctorum voce praedictum fuerat. Scriptum est enim” [Isai. 28, 11]...

— *in epist. I Cor. 14*: M. 74, 888: “Et hi quidem ignotis sibi antea linguis loquebantur, et intelligebant interpretantes, quamquam nullum eorum vocabulorum usum haberent”.

— *ib. c. 892*: “...quia insperatum prorsusque divinum munus erat, alienis posse linguis Hebraeos homines loqui, ne quis existimaret Apostolum inconsulte definire vanum quid esse quod alioquin Spiritus operatione donatum erat, rem admittens, ait: “volo quidem omnes linguis loqui” [I Cor. 14, 5].

1. Linguae peregrinae. — 2. Act. 2 = I Cor. 12-14. — 3. miraculum oris. — 4. donum Sp. sancti. — 5. Pentecostes > Babelis.

9. *Theodoretus* (458).

In 1 *Cor.* 12-14: M. 82, 320, etc.: "Olim iis qui divinam praedicationem susceperant, et salutaris baptismate digni erant habiti, evidenter dabatur spiritalis gratiae operatio. Et alii quidem variis linguis loquebantur quas neque secundum naturam norant, nec ab aliis didicerant... Divinis autem Apostolis gratia Spiritus linguarum cognitionem dederat, quoniam, cum essent omnium gentium doctores constituti, oportebat eos scire omnium voces, ut unicuique per propriam vocem evangelicam praedicationem afferrent".

—ad 1 *Cor.* 12, 10 *alii datur interpretatio sermonum*. M. ib. 325: "Erat hoc quoque spiritale donum. Saepe enim homo qui linguam Graecam solam noverat, alio lingua Scythica vel Thracica disserente, afferebat auditoribus interpretationem".

—ib. c. 337: "Datum est [donum linguarum] praedicatoribus propter diversas hominum voces, ut qui ad indos veniebant, illorum usi lingua divinam afferrent praedicationem; et cum Persis rursus disserentes et cum Scythis et Romanis et Aegyptiis, singulorum linguis usi, evangelicam doctrinam praedicarent". — ib. c. 341: ad 1 *Cor.* 14, 15: "Spiritus donum appellat; mentem autem declarationem eorum quae dicuntur". — ad v. 22; ib. c. 345: "...infidelem enim admiratione afficit linguarum diversitas".

1. Linguae peregrinae. — 2. Act. 2 = 1 *Cor.* 12-14. — 3. miraculum oris. — 4. ad praedicandum. — 5. in admirationem infidelium. — 6. donum Sp. sancti.

10. *Basilius de Seleucia* (c. 459): Or. 37, 1. M. 85, 389: (Eius tamen 40 λόγοι, vel orationes, dubii habentur cf. O. Barden. op. c. p. 548-9).

—"Pleni(enim) sunt, fr., mellis Scripturarum favi... ut industriis absque labore lice[a]t expressum inde virtutis temetum in proprias animas derivare ac recondere; temetum... quo apostolorum chorus repletus est, quando rorem Spiritus coelo defluentem sua quisque lingua excipiens, collectarum nationum auribus oris virtutem impertiebatur, unicam cuiusque vocem ad omnium nationum audiendi sensum conformante gratia. Adeo ut orationis flumen ore profusum aptum modificatumque ad cuiusque aures accideret, Spiritu vocem transformante pro cuiusque audientis lingua vernacula".

1. donum Sp. 1. — 2 —miraculum auditus.

11. *Oecumenius* (c. 600); hucusque credebatur e s. x; sub eius nomine vulgati sunt duo Commentarii in *Act. Apost.* et 1 *Cor.* [M. 118]; spurios tamen esse dicunt patrologi, cf. O. Bardenhew. op. c. p. 587; quis vero sit auctor, quo tempore sint conscripti et an sint *catena anonyma* nequit adhuc asseri.

—*In Act. Apost.* 2, 4: *M.* 118, 64: "... erant enim scitae brevesque sententiae [αποφθέγματα γὰρ ἦσαν] quas linguis variis [διαφόροις] proferebant". — "Religiosi vero admirabantur, cum illos Galilaeos esse cognoscerent, et tamen patriis ipsorum linguis loquerentur. Verum apostoli quidem noverant quae dicerent, nempe quod magnifica Dei: quibus autem linguis ea loquerentur non noverant nisi viri religiosi qui audiebant, puta Scythia fortassis aut Indus, quod Scythica aut Indorum lingua apostoli loquerentur".

—*ad Act.* 19 sq.: *M.* ib. c. 248: "Hunc [Spiritus] non videbant, nam invisibilis est, sensibile tamen illius efficaciae argumentum dabat gratia. Et unus quidem Persarum lingua protinus loquebatur, alter autem Romanorum, tertius vero Indorum et alius similiter alia quadam: idque externis propalabat Spiritum in eo esse qui loquebatur".

—*In 1 Cor.* 14, 22: *M.* ib. c. 853: "signum autem non semper docet aut utile est; imo interdum et frequentur nocet, ut in progressu dicit, ubi ait: "nonne dicent vos insanire?"

1. Linguae peregrinae. — 2. signum praesentiae Sp. sancti. — 3. in poenam infidelium.

12. *Ioannes Damascenus*, *S.* (c. 754).

—*In 1 Cor.* 12-14: *M.* 95, 664: "...Ecclesia [Corinthiorum] scindebatur cum illi qui loquebantur linguis obtrecent aliis qui prophetiae donum obtinuerant. Nam quia illud primum apostolis datum fuerat in die Pentecostes, ideo qui eo ornati erant valde gloriabantur". — *1 Cor.* 14, 22 (*M.* ib. c. 6, 85): "linguae in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus" hoc est ad stuporem, non ad institutionem."

1. *Act.* 2 = *1. Cor.* 12-14. — 2. in stuporem infidelium, "non ad institutionem".

13. *Theophylactus* (c. 1107).

In 1 Cor. 12-14: *M.* 124, 709: "Quia vero is [Sp. sanctus] invisibilis erat, sensibile signum dabatur operationis ipsius, atque aut linguis loquebantur, aut prophetabant, aut miracula edebant". — *1 Cor.* 13, 1: *M.* ib. c. 725: "Angelorum linguis, inquit, non quod angeli linguas habebant, sed ut quidam, quod humanis linguis excellentius esset, indicaret, sic dixit..." — *Ad.* 14, 14: *M.* ib. c. 740: "...nonnulli apud veteres, donum orationis in lingua accipientes, sonabant quidem Persarum aut Romanorum voce, mens vero eorum ignorabat quid diceretur". — *Ad.* 14, 22: *M.* ib. c. 744: "...signum autem terret quidem, non docet vero prorsus neque iuvat, quandoque et saepe nocet... Quocirca, ut summam dicam lingua est in signum infidelium, h. e. ut admirationem moveat tantum".

1. Linguae peregrinae. — 2. ad orandum. — 3. signum praesentiae Sp. sancti. — 4. in admirationem infidelium.

II. PATRES ET VETERES SCRIPTORES LATINI

14. *Tertullianus* (c. 240) *Adv. Marc.* 5, 8: M. 2. 490.

Simul citat Ioel 2, 28 sq. Isai. 28, 11, et 1 Cor. 12-14. — Quo ad Isai. 28, 11, scribit: "Quod, etsi in Lege scriptum esset, commemorat in aliis linguis et in aliis locuturum Creatorem cum hac commemoratione charisma linguarum confirmat, nec hic potest videri alienum charisma Creatoris praedicatione confirmasse."

1. Ex citatione complexa Ioëlis, Isai. 1 Cor. 12-14, cum loquitur de glossolalia, evidenter supponit: Ac. 2 = 1 Cor. 12-14.

15. *Cyprianus*, S. (a. 258): Inter eius opera spuria habetur libellus "*de Rebaptismate*", certe contrarius suis theoriis, compositus tamen inter 255-258 (cf. O. Bardenhewer op. c. p. 206).

"*Liber de Rebapt. VI*": M. 3, 1238: "postremo die Pentecostes supervenit Sp. sanctus voluntate Dei quidem, non sua sponte coelo lapsus, sed ad hoc ipsum munus effusus sedet super unumquemque eorum...

1. simpliciter Dei donum.

16. *Philastrius*, S. (ante 397): *Liber de haeresibus*, CIV, M. 12, 1217-19.

"Tamen omnem scientiam linguarum, quae ante duo millia annorum et septingentos annos, offendentes amiserant homines, sub Apostolis rursum post ascensionem suam Dominus per Sp. sanctum, sine quodam labore credentibus conferebat, sicut scriptum est in Actibus Apostolorum. [c. 2] Angelicae enim virtutis est linguas scire omnium hominum; per fidem autem Christi, sine labore, linguarum omnium credentibus subministratur scientia; sicut legimus docente divino Sp. apostolos atque gentes itidem credentes tunc temporis in Christum Dominum Salvatorem, sine labore linguarum omnium donatam scientiam praedicasse; ut sub Petro et Paulo et aliis factum est, cum docerent gentes venisse Spiritum Dei a Deo et linguis multis eos potuisse eloqui, ut audientes homines mirarentur de gentibus quod tantarum linguarum et ipsi per fidem Christi, scientiam haberent sine doctrina concessam".

1. Linguae peregrinae. — 2. miraculum oris. — 3. donum Sp. sancti. — 4. Pentecostes > Babelis. — 5. in admirationem iudaeorum circa gentium fidem.

17. a) *Ambrosius*, S. (397). *De Trinitate* VI: M. 17, 515.

β) (*Ambrosiaster*: (s. IV): in 1 Cor. 14: M. 17, 253).

De Trin. VI: "Iste est [Sp.] qui die Pentecostes super apostolos des-

cendens, diversas eis impertitus est linguas et gratias, sancti Ioël prophetae vaticinium complens”.

—*Ambrosiaster in 1 Cor.* 12, 28, [M. 17, 250] “ut donum sit Dei multas linguas scire”. v. 30 “*numquid omnes linguis locuntur*”. “non utique, nisi qui accipit donum in hac re”.

—M. ib. c. 253, ad c. 14, v. 2. “Hoc est quod dicit, quia qui loquitur incognita lingua, Deo loquitur, quia ipse omnia novit; homines vero nesciunt, ideoque nullus ex hac re profectus” Ad v. 4 “... per id, enim, quod forte solus scit quod loquitur, se solum aedificat; nam qui prophetat omnem plebem aedificat, dum intelligitur ab omnibus quid loquatur”.

—ad v. 5^b “... quia si interpretari poterit, non erit minor, quia Ecclesiam aedificat: hoc enim maius est quod omnibus prodest”.

—v. 14 “...manifestum est ignorare animum nostrum, si linguam loquatur quam nescit; sicut adsolent latini homines graece cantare, oblectati sono verborum, nescientes tamen quid dicant. Spiritus autem qui datur in baptismo, scit quid oret animus”.

—v. 22. “Hoc est, velamine incognitae linguae obscurati sunt sermones Dei; ne videantur a perfidis, ut cum audiantur incognitae linguae, signum sit quia propter perfidiam factum est, ne audiens intelligat”.

—v. 24-25 “...cum enim intelligit et intelligitur [sc. infidelis aut idiota]... pervidet veram esse et venerandam religionem in qua nihil fucatum, nihil in tenebris videt geri, sicut apud paganos, quibus velantur ne quae sacra vocant perspicientes, variis se vanitatibus cernant illudi”. Econtra: “si(enim) nullus sit qui intelligat, aut a quo ipse discutiatur, potest dicere seductionem esse quamdam et vanitatem, quae ideo linguis canitur, quia pudoris est, si reveletur”.

α) 1. linguae peregrinae. — 2. donum Sp. sancti.

β) S. linguae peregrinae. — 2. donum Dei. — 3. in poenam infidelium.

18. *Hieronymus, S.* (420).

Ad Marcellam (epist. 41, alias 54): M. 22, 474.

Dicit promissiones Chti. de mittendo Sp. sancto, Pentecoste impletas esse; et addit “Sp. sanctum descendisse, linguasque credentium esse divisas, ita ut unusquisque omnium gentium sermone loqueretur”.

—ad Hedibiam (epist. 120, alias 150): M. 22, 993-4.

“...die autem Pentecostes, eis [Apostolis] amplius repromissum est, ut... praedicaturi multis gentibus, acciperent genera liguarum; ut iam tunc nosceretur, qui apostolorum quibus deberent gentibus nuntiare. Denique Apost. Paulus qui de Ierusalem usque ad Illiricum praedicavit, et inde per Romam ad Hispaniam ire festinat, gratias agit Deo quod cunctis Apostolis

magis linguis loquatur. Qui enim multis gentibus anuntiaturus erat, multarum linguarum acceperat gratiam". "...profectus apostolicus est ut qui primo remittendorum peccatorum gratiam acceperant, postea acciperent operationes virtutum, et cuncta donationum genera; ...et, quod magis necessarium erat, diversitatem linguarum omnium gentium: ut anuntiaturi Christum nullo indigerent interprete".

1. Linguae peregrinae. — 2. Act. 2 = I Cor. 12-14. — 3. ad praedicandum. — 4. Donum Dei.

19. *Augustinus, S.* (430).

In Ioan. Tract. 6. 10: M. 35, 1429.

Ad gentes Apostoli missi sunt, si ad gentes, ad omnes linguas. Hoc significavit Sp. sanctus divisus in linguis, unitus in columba... In columba unitas, in linguis gentium societas. Aliquando enim et linguae per [Gen. 11.] superbiam discordaverunt, et tunc sunt factae linguae ex una multae... Si superbia fecit diversitates linguarum, humilitas Christi congregavit diversitates linguarum" Cf. etiam in ps. 54, 10 sq. M. 36, 636; serm. 271 (de Pentec.) M. 38, 1246.

— *Sermo.* 175, 3: M. 38, 946. — Alludens ad Lc. 24, 49 et Act. 2: "Venit ergo et promissio ipsius, venit Sp. sanctus, implevit discipulos, coeperunt loqui linguis omnium gentium: signum in illis procedebat unitatis. Loquebatur enim tunc unus homo omnibus linguis: quia locutura erat unitas Ecclesiae in omnibus linguis. Expaverunt qui audiebant. Noverant enim homines idiotas fuisse, unius tantum linguae; et mirabantur ac stupebant, quod unius linguae homines, vel ut multum duarum, linguis omnium gentium loquerentur."

Cf. etiam *In Ioan, tract.* 39, 5: M. 35, 1683; *In epist. Ioan., tract.* 2, 3: M. 35, 1991; serm. 80, 5: M. 38, 497; serm. 266, 2: M. 38, 1225.

In ps. 147, 19: M. 37, 1929: "Lege Actus Apostolorum... quomodo linguis omnium locuti sunt in quos venit Sp. sanctus... Quare modo cui datur Sp. sanctus non loquitur omnibus linguis? Hoc enim tunc erat indicium venientis in homines Spiritus sancti, ut linguis omnium loquerentur... tunc enim nondum erat Ecclesia per terrarum orbem diffusa, ut membra Christi in omnibus gentibus loquerentur. Tunc implebatur in uno quod praenuntiabatur in omnibus. Iam totum corpus Christi loquitur omnium linguis; et quibus nondum loquitur, loquetur... Si corpus Christi iam omnium linguis loquitur, et ego in omnibus linguis sum: mea est graeca, mea est syra, m. e. hebraea, m. e. omnium gentium, quia in unitate sum omnium gentium". Cf. etiam *In epist. Ioan, tract.* 6, 10: M. 35, 2025; in ps. 18, 10: M. 36, 161; s. 87, 7: M. 38, 535; serm. 99, 10: M. ib. 601; serm. 271, M. ib. c. 1246,

serm. 352, 2: M. 39, 1550; De Civ. Dei 18, 49: M. 41, 612; c. litter. Petilianus 2, 32: M. 43, 284.

In ps. 130, 5: M. 37, 1706. "At ubi vidit [Simon magus] per manus impositionem Apostolorum et per orationes eorum Deum dare fidelibus Sp. sanctum; et quia tunc per miraculum demonstrabatur adventus Sp. sancti, ut linguis loquerentur, quas non didicerant, omnes super quos veniebat Sp. sanctus (nec ideo modo non datur Sp. sanctus, quia linguis non locuntur qui credunt. Ideo enim tunc oportebat ut linguis loquerentur, ut significarent omnes linguas Christo credituras. Ubi impletum est quod significabatur, miraculum ablatum est): cum ergo hoc videret Simon voluit talia facere, non talis esse..."

Sermo 267, 2: M. 38, 1229: [serm. 267-71 omnes agunt de Pentec., in 270 tamen nihil ad rem nostram invenitur: M. 37, 1229-1246].

"Omnes qui aderant [Act. 2], unam linguam didicerant. Venit Sp. sanctus, impleti sunt, coeperunt loqui linguis variis omnium gentium, quas non noverant nec didicerant; sed docebat ille qui venerat... Et tunc hoc erat signum, quicumque accipiebat Sp. sanctum, subito impletus Spiritu, linguis omnium loquebatur; non illi solum centum et viginti. Docent nos Litterae ipsae [cf. Act. 10; 11; 19], postea crediderunt homines, baptizati sunt, acceperunt Sp. sanctum, linguis omnium gentium locuti sunt" ib. cap. 3. "Numquid modo, fratres, non datur Sp. sanctus?... Datur et modo. Quare ergo nemo loquitur linguis omnium gentium, sicut loquebatur qui tunc Sp. sancto implebatur? Quare? Quia quod illud significabat, impletum est... Nam quod illa Ecclesia parva linguis omnium gentium loquebatur, quid est nisi quod Ecclesia ista magna a solis ortu usque ad occasum, linguis omnium gentium loquebatur, quid est nisi quod Ecclesia ista magna a solis ortu usque ad occasum, linguis omnium gentium loquitur? Modo impletur quod promittebatur". — *Serm.* 268, 1: "Praesentiam suam [Sp. s.] unde docuit, unde monstravit? Linguis omnium gentium locuti sunt omnes. ...Quid ergo, singuli in quos venit Sp. sanctus, singulis linguis omnium gentium sunt locuti, illi alia lingua, et illi alia et quasi dividerunt inter se linguas omnium gentium? Non sic: sed unusquisque homo, unus homo linguis omnium gentium loquebatur...; unitas Ecclesiae in linguis omnium gentium".

—*In Serm.* 269, 1.

"Quid enim aliud Sp. sanctus praenuntiabat in linguis omnium gentium, quas donabat eis, qui unam tantum suae gentis linguam didicerant (quod indicium praesentiae suae tunc esse voluit), nisi omnes gentes Evangelio credituras...? Cur ergo nunc neque apud nos neque apud illos [schismaticos] quisquam loquitur linguis omnium gentium (quod tunc erat adventus sui indicium) nisi quia nunc impletur quod tunc significabatur?"

Et nunc ecce quomodo mentem Augustini interpretabatur eius extractor:

1. Linguae peregrinae. — 2. miraculum oris. — 3. donum Sp. sancti. — 4. signum eius praesentiae. — 5. Pentecostes > Babelis. — 6. speciatim designat unitatem futuram omnium gentium, quae in Chto. credent omnes.

20. *Eugyppius*, abbas Africanus (post. 511) in suo "Thesauro, [c. 124] excerpto ex operibus d. Augustini: M. 62, 749-50.

"...si qua societas Spiritus, propter hanc societatem, illi in quos primitus venit, linguis omnium gentium sunt locuti, quia sicut per linguas constat [=consotiator est (editor)] societas generis humani, sic oportebat per linguas omnium gentium significari istam societatem filiorum Dei et membrorum Christi futuram in omnibus gentibus. Ut quemadmodum tunc ille apparebat accepisse Sp. sanctum qui loquebatur linguis omnium gentium: ita nunc ille se agnoscat accepisse Sp. sanctum qui tenetur in vinculo pacis Ecclesiae..." Ergo:

1. Linguae peregrinae. — 2. miraculum oris. — 3. signum praesentiae Sp. sancti. — 4. ad designandam futuram omnium gentium in Chto. unitatem.

21. *Paulinus Nolanus*, S. (431).

—*Poëma* 27, v. 60-71; 100-06: M. 61, 649-650.

v. 60 "Hoc sollemne [Pascha] dies sequitur; septem numeramus
 Hebdomadas, et lux populis festiva recurrit,
 Qua sanctus quondam coelo demissus ab alto
 Spiritus ignito divisit lumine linguas,
 Unus et ipse Deus diversa per ora cucurrit,
 65 Omnigenasque uno sonuit tunc ore loquelas,
 omnibus ignotas tribuens expromere voces,
 Quisque suam ut gentem peregrino agnosceret ore,
 Externamque suo sentiret in ore loquelam.
 Barbarus ipse sibi non notis nota canebat,
 70 (11) Verba suis aliena loquens: sed in omnibus unum
 Voce Deum varia laudabat spiritus unus".

... ..

(11) "*Verba suis aliena loquens*". "insinuat unum eundemque loquentem uno idiomate, a diversis intellectum atque si singulorum idiomate loquerentur; de qua re varia Patrum sententia. Vide Baronium: An. Eccles. I a. 34 Chti, n.º 1242".

Sic. Rosveydus: in Appendice ad opera S. Paulini: M. 61, 923.

Ad quod potest responderi: 1) Baronius omnino contrarium asserit "...sic (enim) linguarum donum accepisse constat apostolos, ut quisque eorum linguis omnibus loquen-

- v. 100 Ut lyricas facili modulatus pectine chordas
 Dividuis eadem cecinit praeconia linguis,
 Incutiens varias humana per organa voces.
 Talis ubi lectas implevit crapula mentes,
 Ructavere sacras ieiuno gutture laudes
 105 Ebria corda Deo; quis me miseratus, ab isto
 Flumine potabit, quod sobriat ebrietate..."

1. Linguae peregrinae. — 2. miraculum oris (probabilius). — 3. ad praedicandum et ad orandum. — 4. donum Sp. sancti.

22. *Leo Magnus, S. (461): Sermo 75 (al. 73), 2 (in Pentec.): M. 54, 401.*
 —Ad Act. 2. 1-4, provocans: "O quam velox est sermo sapientiae, et ubi Deus magister est, quam cito discitur quod docetur! Non est adhibita interpretatio ad audiendum, non consuetudo ad usum, non tempus ad studium, sed spirante ubi voluit Spiritu veritatis [Ioa. 3, 8] propriae singulorum gentium voces factae sunt in Ecclesiae ore communes".

"Quamvis... nec dubium sit in illo omnium humanarum vocum exultante concentu, maiestatem Sp. sancti fuisse praesentem..."

1. Linguae peregrinae. — 2. donum. Sp. s. — 3. et signum praesentiae eius. — 4. miraculum oris.

23. [*Prosperus Aquitanus, S. (463)*]; eius nomine vulgatus fuit liber cui titulus "*De vocatione omnium gentium*"; eum tamen non esse auctorem hodie ut certum habetur (cf. O. Bardenhewer, op. c. 529-30); sed medio s. V fuisse compositum etiam admittitur.

—In dicto opere, *Lib. II, c. 14* (M. 51, 699), scribitur: "...unam illorum populorum loquelam notis sibi invicem significationem consonantem, septuaginta et duarum linguarum varietate confudit [Gen. 11];... In isto autem opere providentiae Dei praeordinabantur miracula gratiae Christianae quae omnem hanc dispersionem in illum aedificationis erat coaptatura compagem, in qua omne genu flectitur Deo et omnis lingua confiteatur quia Iesus in gloria Dei Patris est". [Phil. p. 2, 10-11.]

—ib. c. 16: M. ib. c. 703. "Quandoquidem in die Quinquagesimo ab illo Pascha, in quo se hostia Deo verus Agnus obtulerat, cum apostoli et qui

tur, non (ut aliqui (*) existimarunt) uno ex illis una lingua loquente, omnes qui audirent licet essent diversarum linguarum, intelligerent". Ann Eccl. I, p. 216, Romae, 1588. 2) Nequit loqui de "sententia varia PP." cum solus Greg. Naz. eam nominet, quin admittat. 3) Paulinus ipse in v. 65-69 miraculum oris clare exprimit; unde, meo iudicio, v. 70 aliter ac Rosweyd. facit, debet interpretari: sc. α) vel "*verba suis* i. e. *verbis*, aliena." vel β) "*verba suis* i. e. *suae genti, populo, aliena*". In utroque casu est miraculum oris; haec interpretatio e vv. praecedentibus unica commendatur.

(*) Verba haec absque ratione transferrentur ad PP.; certius est Bar. aliquibus scholasticis alludere, qui revera talia dixerunt; ut infra patebit.

cum eis unanimes erant, repleti Sp. sancto linguis omnium gentium loquerentur, conveniebat excita [=excitata] miraculo diversi generis hominum multitudo".

1. Linguae peregrinae. — 2. Pentecostes > Babelis. — 3. miraculum oris.

24. *Maximus Taurinensis*, S. (post 465).

—*Sermo* 48 (I De Pentec.): M. 57. 632.

"Acceperunt ergo apostoli per Sp. sanctum diversitatem linguarum; sed unus Deus est, quem locuntur. Et ob hoc ceperunt varietatem linguarum ut diversitas Gentium sermone multimodo fidei disceret unitatem."

—*Sermo* 49 (II de Pentec.); M. ib. 634.

—ad Act. 2, 4: "Varietas ista linguarum Divinitatis annuntiat unitatem. Diversus quidem et multiplex sermo prodibat a singulis, sed unus in omnibus loquebatur. Sonat Hebraeus linguam quam autem non didicit, ut posset fidem, quam ignorabat audire gentilis. Nec mirum, carissimi, si apostolis suis Christus per Sp. sanctum linguarum notitiam dedit... credamus, quia et Deo omnia sunt possibilia, et necesse erat ut novam fidem, nova loquendi miracula confirmarent".

—*Sermo* 50 (III de Pentec.): M. ib. 635-6.

"Loquebantur (ergo) apostoli per unum Sp. variis linguis ut in unam Christi fidem gentium varietas conveniret". "...quis haec alius ageret nisi Deus ut... vir Galilaeus arcana coeli non solum decore graeci romanique sermonis, sed etiam stridulo murmure gementique conatu auribus barbaris loqueretur? Olim namque cum coelum ire contendens turrem sibi construeret humana praesumptio, nec (12) contumax haberet conatus effectum, unius sermonis consortium immissa subito linguarum varietate, divisum est... Nunc vero ubi Deus homini ad coelum parat ascensum, praeconibus tantae gratiae cunctarum datur peritia linguarum, ne cuius hominem tam magnum Dei possit latere promissum... Unde manifestum est, carissimi, omnipotentis Dei Filium, qui universarum varietate linguarum aeternae salutis mysterium voluit praedicari non unius tantum iudaei populi sed omnium venisse hominum Redemptorem".

—*Sermo* 51 (IV de Pentec.): M. ib. 636.

"Parthi (enim) et Medi, vel Elamitae et caeterae, sicut lectum est, nationes, propriis apud Iudaeam audiunt linguis Dei magnalia et vitae suae remedia praedicari".

—*Sermo* 53 (V de Pentec.): M. ib. 638.

"Quanti illud, fratres, miraculi fuit, quod hebraeus homo subito erum-

pens in verba non sua de magnalibus Dei instruebat Graecum, docebat Romanum, alloquebatur Aegyptium, atque omnes barbaras nationes propriis earum linguis informabat ad fidem!"

—*Sermo* 77 (s. de S. Cypriano IV): M. ib. 687.

"Hoc namque musto repleti sancti Apostoli, sicut ait Scriptura [Act. 2 (4), 13] alienis linguis Dei magnalia loquebantur. In quo facto pariter ebrii esse videbantur et sobrii: ebrii enim putabantur, quod in iis loquela praeter naturam alte personabat; sobrii erant quod iuxta consuetudinem mentis Deum devotione laudabant. Quod quidem non elatione aliqua aut impudentia contingit, ut viri sancti peregrino sermone loquerentur, sed providentia Divinitatis factum est: ut quia ad magnificandum Deum una loquela non sufficit, per plures linguas mentis devotio solveretur".

1. Linguae peregrinae. — 2. miraculum oris. — 3. ad praedicandum et ad orandum. — 4. donum Sp. sancti. — 5. Pentecostes > Babelis. — 6. denotat futuram gentium sub Chto. unitatem.

25. *Ennodii, episc. Ticinensis*. (521, iuxta Migne).

"Carminum" L. I c. 13, hymnus IV (de Pentec.): M. 63, 328.

"
Infundit ecce Spiritus
Et ora rursus instruit.
Intrat veterno pectora
Eviscerata nubilo.
In hac apostolis die
Dum verba Verbum dividit,
Sermone mundi praepotens
Et corda mundi contulit.
Summi feratur laudibus
Homo, habet ora gentium
Thrax, Gallus, Indus unus est.
Quod blanda ludit Graecia,
Quod saevit atrox barbarum
Stridor Canopi murmuris,
Quod lingua latrat Parthica
Pectus replevit hospitem".

1. Linguae peregrinae. — 2. donum Sp. s. — 3. miraculum oris.

26. *Fulgentius Ruspensis*, S. (533): *Sermo* VIII, de Pentec.: M. 65, 743.

"Omnibus linguis locuti sunt. Sic quippe tunc Deo placuit sancti Sp. significare praesentiam, ut qui eum accepisset, omnibus linguis loqueretur".

"...Neque enim etiam nunc non datur Sp. sanctus, et tamen qui eum accipiunt non loquuntur linguis omnibus, quo evidenti miraculo se illo tempore demonstrabat... Tunc etiam unus homo poterat Sp. sanctum accipiens, linguis omnibus loqui, nunc sancto Spiritu congregata ipsa unitas Ecclesiae linguis omnibus loquitur... quid enim aliud tunc Deus significavit per Spiritus sancti praesentiam, nisi Ecclesiam suam omnibus linguis locuturam?"

1. Linguae peregrinae. — 2. signum praesentiae Sp. s. — 3. signum unitatis futurae gentium.

27. *Cassiodorus* (570): *Expos. in ps. 54, 10*: M. 70, 387-8 [in textu M. est ps. 54, v. 9].

—*ps. 54, 10*: Praecipita, Dñe, divide linguas eorum: "Sicut in turri illa factum est [Gen. 11] quam metu recentis diluvii in altum homines extendere tentaverunt, ubi primo linguarum facta confusa divisio. Ante enim mundus Hebraeis tantum, sicut putamus, sermonibus utebatur. Sed specialiter mente condendum est, quia iratus linguas divisit, propitius autem in suis apostolis adunavit: ibi ne superflua vota complerent, hic ut universae gentes per propriam linguam praedicationem veritatis agnoscerent".

1. Linguae peregrinae. — 2. ad praedicandum. — 3. Pentecostes > Babelis.

28. *Gregorius Magnus, S.* (604).

—*Hom. in Evang. 29, 4*: M. 76, 1215.

—(ad Mc. 16, 17-18): "numquidnam, fr. mei, quia ista signa non facitis, minime creditis? Sed haec necessaria in exordio Ecclesiae fuerunt. Ut enim fides cresceret miraculis fuerat nutrienda, quia et nos cum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra coaluisse [vetus lectio convaluisse] videamus; et si semel radicem fixerint, in rigando cessamus".

—*Homil. in Evang. 30, 4*: M. ib. 1222.

"Audistis etenim [alludit ad praelectionem Act. 2] quia Sp. sanctus super discipulos in igneis linguis apparuit, omniumque linguarum scientiam dedit. Quid, scilicet, hoc miraculo designans, nisi quod sancta Ecclesia, eodem Spiritu repleta, omnium gentium erat voce locutura? Qui vero contra Deum turrim aedificare conati sunt communionem unius linguae perdiderunt [Gen. 11]; in his autem qui Deum humiliter metuebant linguae omnes unitae sunt".

—*hom. 30, 9*: M. ib. 1226: "Certe qui in uno conclavi pro Iudaeorum metu residebant, nativitatis suae singuli linguam noverant, et tamen nec ea ipsa linguâ quam noverant aperte Christum loqui praesumebant. Venit Spiritus et in ore eos per diversitatem linguarum docuit, in mente autem ex

auctoritate roboravit. Coeperunt et in aliena Christum eloqui, qui de Illo prius et in sua lingua loqui metuebant”.

1. Linguae peregrinae. — 2. miraculum oris. — 3. donum Sp. s. — 4. Pentecostes > Babelis. — 5. notat unitatem futuram gentium sub Christo.

29. *Isidorus Hispalensis, S. (636).*

—*Etymol.* l. VII. c. III: M. 82, 270.

“Propterea autem diversarum linguarum gratiam apostolis dedit, ut idonei efficerentur fidelium eruditioni populorum”.

—*De fide Cath.* l. I, c. 60: M. 83, 496: “Quia apostoli Sp. sancto repleti, linguis universarum gentium locuti sunt magnalia Dei, et hoc ante praenuntiatum est, dicente Psalmista: “non sunt loquelaе”...” [ps. 18, 4].

—*De eccles. offic.* l. I, c. 34: M. 83, 769: “...descendente Sp. sancto super eos [apostolos] inflamati sunt ita ut linguis omnium gentium Dei magnalia loquerentur”.

—*Sent.* l. I, c. 24: M. 83, 591-2: “Quod nunc Ecclesia non ea miracula facit quae sub apostolis faciebat, ea causa est quia tunc oportebat mundum miraculis credere, nunc vero iam credentem oportet bonis operibus corroborare...” “Scriptum est enim: “linguae in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus”. Ecce signum non est fidelibus necessarium qui iam crediderunt, sed infidelibus ut convertantur”.

1. Linguae peregrinae. — 2. ad praedicandum. — 3. donum Sp. s. — 4. ad conversionem infidelium.

III. SCRIPTORES, PATRIBUS RECENTIORES, USQUE AD CONCILIUM TRIDENTINUM, 1563

30. *Beda, Venerabilis, S. (735).*

—*In Act Apost.* 2: M. 92, 947: “...Unitatem linguarum quam superbia Babylonis disperserat, humilitas Ecclesiae recolligit...” “Quaeritur in hoc loco quomodo unusquisque audiebat lingua sua loquentes eos magnalia Dei: *utrum* ii qui loquebantur diversis sermonibus uniuscuiusque linguae hoc quod dicebatur proferebant, i. e. ut unusquisque eorum nunc hac, nunc alia lingua loquens, sic per omnes curreret, *an* in eo potius erat mirabile, quod sermo eorum qui loquebantur qualibet lingua fuisset pronuntiat, unicuique audienti, secundum suam linguam intelligebatur, ut v. gr. unoquoque apostolo in Ecclesia docente (necesse enim erat tacentibus reliquis unum loqui, et sermonem unum ad auditum omnium pervenire), ipse sermo hanc in se

vim haberet, ut, cum diversarum gentium auditores essent, unusquisque secundum linguam suam illius ipsius unius sermonis qui ab apostolo fuerat pronuntiatus, susciperet auditum et caperet intellectum. *Nisi forte secundum hoc magis videbatur audientium esse miraculum quam loquentium*".

—"Retractationes in Act. Apost.", ad eundem textum: M. ib. 999-1000.

"Scio me reprehensum a quibusdam, quod hanc sententiam duobus modis posse intelligi dixerim, vel potius qualiter intelligenda sit quaesierim. Quibus breviter respondeo quod omne quidquid de eadem sententia in praecedenti meo volumine scripsi, non hoc ex proprio sensu protuli, sed ex verbis sancti et irreprehensibilis per omnia magistri, h. e. Gregorii Nazianzeni assumpsi...; ...quaeritur utrum videlicet sermo apostolorum tantam habuerit virtutem ut ab omnibus qui diversas linguas noverant, auditus aequaliter possit intelligi, an vero quicumque eorum loquebatur; necesse enim erat in conventu tantae multitudinis, tacentibus caeteris, interim sermonem proferre doctrinae, ipse qui loquebatur primo Hebraeis, hebraice fecerit sermonem, nescientibus caeteris quid diceret. Deinde Graecis, graece, ignorantibus et exspectantibus caeteris. Deinde Parthis... *Non autem errasse reor illum, si quis utrumque fieri posse credat*, et apostolos videlicet in Sp. sancto omnium gentium linguas intelligere ac loqui potuisse, et ipsorum quoque verba maiore miraculo quacumque lingua essent edita, ab omnibus qui audiebant aequè potuissent cognosci".

1. agitur de linguis peregrinis. — 2. aequi probabile est miraculum *oris*, et *auditus* [tamen errat, si hanc credit esse sententiam Greg. Naz., cum revera primam expresse praeferat]. — 3. Pentecostes > Babelis.

31. *Haymo de Halberstadt* (853).

—*Expos. in 1 Cor.* 12, 10: M. 117, 578: "alii [dantur] genera linguarum" i. e. varietates sermonum, ut apostolis et credentibus in exordio fidei" [i. e. uti habetur Act. 2, etc.].

—*ad* 13, 1: M. ib. 581: "'si linguis hominum loquar" septuaginta sc. duabus, quae divisae in aedificatione turris..."

—*ad* 14, 14: M. ib. 589: "Manifestum est, ignorare animum nostrum sive intellectum, si lingua loquatur quod nescit; sicut assolent Latini homines graece cantare, oblectati sono verborum, nescientes tamen quid dicant. Quae cantilena sine fructu intelligentiae est, quam non habere potest qui ignorat quae loquatur". Haec verba sunt ex Ambrosiastro; cf. supra n. 17.

1. Linguae peregrinae. — Act. 2 = 1 Cor. 12-14. — 'Pentecostes > Babelis.

32. *Hugo de Sto. Victore* (1141).

Quaestiones in epist. Pauli: q. 123: M. 175, 537. — *ad 1 Cor.* 14, 2: “Quaeritur quid sit loqui lingua? — Solutio. Alii dicunt quod loqui lingua est loqui parabolice; alii lingua incognita”.

1. Linguae peregrinae; vel simpliciter, emphaticè loqui.

33. *Bernardus Clarav. S.* (1153).

— *In festo Pentec.* ser. 1: M. 183, 323-4: “Venit tunc super discipulos [Spiritus] in linguis igneis, ut linguis omnium gentium verba ignea loquerentur, et legem igneam linguae igneae praedicarent... Denique si dicere opus est, nobis ista manifestatio potius quam apostolis facta est. Ad quid enim illis necessariae linguae gentium, nisi ad conversionem gentilium?”

1. Linguae peregrinae. — 2. ad praedicandum. — 3. donum Sp. sancti.

34. *Ernaldus, abbas Bonavallensis* (post 1156).

— *De operib. Chti. cardinalibus*, XII: M. 189, 1675-76.

“Post cuius Ascensionem in coelos [sc. Dni], Sp. sanctus visibiliter super apostolos in linguis igneis apparuit, et ad instar prioris saeculi [Gen. 11] universitatem fidelium unius labii esse voluit, ut quorum erat cor unum et anima una, una esset et lingua, nec posset impedire intellectum credentium aliqua diversitas verborum; sed evangelica doctrina propria lingua prolata ad omnem auditum eandem efficientiam obtineret, ut Graecis et barbaris omnibusque gentibus verbum Evangelii sic esset intelligibile ac si in eorum auribus linguae in qua nati erant idiomata resonarent. Aderant Medi et Elamitae, Mesopotameni et arabes. Hi omnes, dum Hebraea lingua apostoli praedicarent, locutio iudaica enuntiationis suae articulos cursu consueto evolvens, nullo exponebatur interprete, sed verbo eorum, per Sp. sanctum, inerat virtus et gratia, ut habitantes Pontum et Asiam, suam esse dicerent linguam, quam audiebant, quasi primitivae linguae libertas, ad antiquitatis reversa originem, confusionis contumeliam evasisset”.

1. Linguae peregrinae; sed: 2. miraculum fuit in *auditu* plebis, non in *ore* apostolorum. — 3. donum Sp. s.

35. *Petrus Lombardus* (1164): *Collactanea in epist. Paulinas*: M. 191-192; in *1 Cor.* 12-14: M. 191, 1649-73.

— *1 Cor.* 12, 28: “ecce donum Dei est multas scire linguas”. — *1 Cor.* 14, 2: “qui loquitur lingua, incognita et peregrina”. — *1 Cor.* 14, 22: “in signum infidelibus” ad fidem novitate miraculi movendis; sed paulo inferius transcribit verba Ambrosiastri ad h. l. cf. supra n. 17.

1. Linguae peregrinae. — 2. donum Dei. — 3. ob perfidiam infidelium, sed tamen ordinatur ad eorum conversionem.

36. *Thomas Aquinatis, S. (1274).*

—*Summa Theologica. 2, 2.^{ae}, q. 176, art. 1.*

—ad “Sed contra”: “... non erat conveniens ut qui mittebantur ad alios instruendos [sc. apostoli ad gentes], indigerent ab aliis instrui qualiter aliis loquerentur, vel qualiter quae alii loquebantur intelligerent... Et ideo necessarium fuit ut super hoc eis divinitus provideretur per donum linguarum”.

—“Resp. ad 1”: “...Paulus et alii apostoli fuerunt instructi divinitus in linguis omnium gentium, quantum requirebatur ad fidei doctrinam...”

—“resp. ad 2”: “...quamvis utrumque fieri potuisset, sc. quod per unam linguam loquentes ab omnibus intelligerentur, aut quod omnibus loquerentur; tamen convenientius fuit quod ipsi omnibus linguis loquerentur: ...si autem omnes unam eorum linguam intellexissent, hoc vel fuisset per scientiam illorum qui eos loquentes intelligerent: vel fuisset quasi quaedam illusio dum aliorum verba aliter ad aliorum aures perferrentur quam ipsi ea proferrent”.

—resp. ad 3: “Christus non est usus linguis, quia uni soli genti praedicaturus erat, sc. iudaeis”.

Summa c. gentiles, l. III c. 155: “...quia igitur illi qui a Deo revelationem accipiunt, secundum ordinem divinitus institutum aliquos instruere debent, necessarium fuit ut etiam his gratia locutionis daretur, secundum quod exigeret utilitas eorum qui erant instruendi. Unde dicitur: [Is. 50, 4] Dominus dedit mihi linguam eruditam...; et Dms. discipulis dicit: [Lc. 21, 15] ego dabo vobis os et sapientiam... Unde et propter hoc etiam, quando oportuit per paucos virtutem fidei in diversis gentibus praedicari, instructi sunt quidam divinitus ut linguis variis loquerentur, sicut dicitur. [Act. 2, 4] repleti sicut omnes...”

—*in 1 Cor. 12, 10* alii (dantur) genera linguarum: “ut sc. posit loqui diversis linguis ut intelligatur ab omnibus; sicut de apostolis legitur Act. 2”.

—*v. 28...* genera linguarum: “Ne sc. propter varietatem idiomatum evangelica doctrina impediretur”. — *ad 13, 8...* “sive linguae cessabunt”: “...Est ergo intelligendum quantum ad donum linguarum, quo sancti aliqui in primitiva ecclesia linguis variis loquebantur ut dicitur Act. 2. — In futura enim gloria, quilibet quamlibet linguam intelliget. Unde non erit necessarium variis linguis loqui, nam etiam a primordio generis humani ut dicitur Gen. 11: Unus erat sermo...” — *ad 14, 2* “qui enim loquitur lingua”: “...sciendum est quod in ecclesia primitiva pauci erant quibus imminabat fidem Chti. praedicare per mundum, ideo Dnus., ut commodius et pluribus verbum Dei anuntiarent, dedit eis donum linguarum, quibus omnibus praedicarent, non quod una lingua loquentes ab omnibus intelligerentur, ut quidam volunt, sed ad litteram, quod linguis diversarum gentium, immo omnium loquerentur... Quod ergo dicitur hic loqui lingua, vult Apostolus

intelligi lingua ignota, et non explanata: sicut si lingua Theutonica loquatur quis alicui Gallico, et non exponat, hic loquitur lingua. Vel etiam si loquatur visiones tantum et non exponat, loquitur lingua". — ad v. 6: "*si venero...*" "hoc dupliciter potest intelligi sc. vel lingua ignota, vel, ad litteram, quibuscumque signis non intellectis". — v. 22 "linguae in signum sunt... infidelibus" "ut convertantur".

1. Linguae peregrinae; vel visiones seu quaecumque signa non intellecta (13). — 2. Act. 2 = 1 Cor. 12-14. — 3. etsi theoretice fuit possibile miraculum auditus, tamen de facto absolute fuit mirac. oris. — 4. ad praedicandum. — 5. donum Dei. — 6. Pentecostes > Babelis. — 7. ad conversionem infidelium.

37. *Bonaventura, S.* (1274).

— *Sentent. l. I, d. 16. q. II* (Opera omnia, ed. Quaracchi, I, 281).

"Quaerentes signa per haec manuducuntur ad intelligibilia; et propter tales utilis est missio [Sp. sancti] visibilis... Patet (etiam) quare modo non datur sive mittitur visibiliter; quia iam manuducti sumus ad fidem, unde sicut cessaverunt miracula, ita exteriora signa". — In Sap. 1, 7 "scientiam habet vocis": "i. e. omnium locutionum et linguarum... Glossa: "diversarum linguarum a Sp. sancto "ut patet Actuum secundo". — Op. o. v. VI, p. 114.

— *Coll. in Ioa., V*; ib. p. 542: "...Spiritus divinus animam gratificans dat ei *sensum* devotionis, verbum aedificationis, et motum bonae operationis... de secundo: Actuum secundo "Repleti sunt omnes Sp. s. et coeperunt loqui variis linguis..."

1. Linguae peregrinae. — 2. ad praedicandum? "verbum aedificationis". — 3. donum Dei. — 4. signum praesentiae Sp. sancti.

38. *Petrus Aureolus* (1322).

"*Compendium s. litt. totius div. Script.*", ed. Philibertus Seeboeck, Quaracchi, 1896; p. 267 definit gratiam linguarum "scire sc. diversa idiomata".

39. *Hervaeus Natalis* (1323).

— In 1 Cor. 12-14: M. 181, 938-72. — ad 1 Cor. 12, 8 (M. ib. 943): "alii (dantur) genera linguarum" ut multis loquatur linguis, sicut Graeca, Latina et Hebraea". — ad 12, 28 (M. ib. 951): "...genera linguarum", i. e. scientiam loquendi linguis variis per donum gratiae". — ad 13, 1 (M. ib. 952): "si ego, inquit loquar linguis omnium hominum et angelorum, i. e.

(13) Haec duplex explicatio vix inter se conciliatur; forsitan ex methodo qua scriptores M. Aevi varias opiniones etiam diversas congerebant quin de earum harmonia curarent. Cf. *Mélanges Thomistes*, Paris, 1924, in tractatu confecto a Lemonnyer.

si mihi per gratiam datum sit ut sciam loqui sicut omnes homines qui sunt in terra..." — ad 14, 14, eadem dicit ac Ambrosiaster cf. supra n. 17. — ad 14, 21-22 (M. ib. 966), post citatum Isai. 28, 11: "Hoc est aliis linguis et aliis labiis loqui, propter illam varietatem linguarum quae per Apostolos in die Pentecostes sonuit". "Linguae (igitur) datae sunt in signum, i. e. ut sint signum invisibilis praesentiae Dei, quia infideles per miraculum linguarum potentiam Dei, qui eis praedicatur, adesse praesentem intelligunt".

Et saepius repetit tales conceptus in toto hoc tractatu. (1 Cor. 12-14)

1. Linguae peregrinae. — 2. Act. 2 = 1 Cor. 12-14. — 3. donum gratiae. — 4. signum praesentiae Dei.

40. *Lyranus, Nicolaus* (1340).

— "*Biblia sacra... et Nic. Syrani postillae...*", v. VI, Venetiis, 1588.

— ad Act. Apost. 2, 4: "Secundum quod dicit hic glossa, Apostoli non solum loquebantur et intelligebant omnia idiomata, sed ipsis loquentibus in uno idiomate quodcunque esset illud, omnes audientes quantumcumque essent diversorum idiomatum, intelligebant quilibet idioma proprium virtute divina hoc faciente. Sicut enim per rebellionem ad Deum divisae sunt linguae, ita per infusionem Sp. sancti sunt unitae", op. cit. f. 167. — Et ad 2, 3 dixerat: "Ad signandum signo visibili exterius, invisibilem gratiam Sp. sancti receptam interius... et loquentes in omnibus linguis ad publicationem Evangelii" ib. f. 166 v.

— in 1 Cor 12-14: serviliter sequitur S. Thomam: vg. quoad 12, 28; 13, 8; 14, 2 fere eisdem verbis idem exprimit: cf. supra S. Thomam n. 36.

— Ad 1 Cor. 12, 7: "Ad talem vero utilitatem [sc. salutem alienam] requiritur facultas loquendi et operandi, quae datur per donum gratiae, utpote per donum linguarum, ut possit aliquis fidem praedicare gentibus diversorum idiomatum; et per fidem miraculorum ad fidem confirmandam". f. 52. cf. Thomam 1, 2.^{ae}, q. 111, a. 4 (de quo supra, *Introd.*).

— 1 Cor. 14, 21-22: "Donum autem linguarum et d. prophetiae ordinantur ad conversionem infidelium..." — sunt linguae in signum infidelibus: "...ut praedicatores evangelii intelligi possint ab omnibus singularum linguarum, et sic converti ad fidem Christi", ib. f. 56.

1. Linguae peregrinae. — 2. miraculum *oris et auditus*. — 3. ad praedicandum. — 4. donum Dei vel Sp. s. — 5. Pentecostes > Babelis. — 6. ad conversionem infidelium. — 7. Act. 2 = 1 Cor. 12-14.

41. *Caietanus* (Thomas de Vio, Card. Caie.) (1534).

— In S. Thom. 2, 2.^{ae}, q. 176, a. 1; cf. supra n. 36: "...quinque motiva unde donum linguarum oportuit in primitiva Ecclesia esse: 1^m ex universali officio docendi illorum Chti. discipulorum; 2^m ex unitate nationis

eorundem..." "...de dono linguarum hic dicitur quod fuit perfectum ad finem qui erat conversio gentium..."

—*In 1 Cor. 13, 1*: "Non dicit hominum Asiae aut Europae aut Africae, sed absolute hominum ut comprehendat omnia humanarum linguarum genera".

—*Ad 14, 1*: "Et scito ex eodem tractatu [c. 14] quod de ratione doni linguarum, nec erat intelligi ab aliis, nec etiam intelligi ab ipso loquente verba quae donum porrigebat, sed, accipiens donum linguarum movebatur a Sp. sancto ad loquendum magnalia Dei prout Sp. s. dabat ei loqui; nec solum movebatur lingua ad proferendum illa verba, sed simul movebatur a Sp. sancto affectus loquentis in Deum motu cuiusdam devotionis ad laudandum Deum. Haec omnia ex textu [c. 14] habentur". Sed sequitur: "Nec ex his accipias quod Apostoli loquentes linguis non intelligebant quae dicebant; quoniam Apostoli... et donum interpretandi simul habebant: quoniam ad hoc datae sunt illis linguae, ut non egerent interprete praedicantes diversarum linguarum hominibus".

1. Linguae peregrinae. — 2. miraculum oris. — 3. ad praedicandum (et etiam ad orandum). — 4. donum Sp. sancti. — 5. ad conversionem gentium.

CONCLUSIO PRIMAE PARTIS

Compendium traditionis

Oportet notare, in extractandis Patribus et antiquis scriptoribus, non solum eorum sententias inveniri ubi disertis verbis rem directe investigant, sed saepe et communiùs quaestiones indirecte, vel alio scopo, methodo, pertractant: unde etiam in contextu, in modo citandi, ex via indirecta, inquiri et expromi debent eorum opiniones; tamen, quamvis hac methodo usus sim, mihi videor non ultra limites processisse, sed moderate conclusiones accepi quae directè aut indirectè (certe tamen) ex ipsorum verbis defluere videntur.

Quae ad glossolaliam videbantur pertinere, ad octo puncta reduxi, sc.

1. "Linguae peregrinae. — 2. Act. 2 = 1 Cor. 12-14. — 3. miraculum a) oris vel β) auditus. — 4. ad α) praedicandum (vel β) orandum). — 5. donum Sp. sancti. — 6. signum α) eius praesentiae, vel β etiam unitatis futurae gentium sub Christo. — 7. Pentecosten esse antitypon et oppositum (>) Babelis. — 8. linguas esse in signum infidelibus sc. a) ad eorum conversionem; b) stuporem; c) vel ad poenam.

(Quae explicanda erant, in prologo huius II^{ae} Partis, notata habes).

Iam vero ex quadraginta scriptoribus quos hic recensui, sic quo ad diversa puncta distributio fieri debet:

1. *Tenent agi de "Linguis peregrinis": Omnes illi Patres et scriptores recensiti; solus Hugo a Sto. Vict. admittit, secundo loco, agi de "locutione emphatica"; item 2.^o loco, D. Thomas de visione non explanata, vel quocumque signo non intellecto. Ergo omnino dicenda est interpretatio traditionalis.*

2. *Pro identitate phenomēni glossolaliae in Act. 2 et 1 Cor. 12-14: Orig., Greg. Niss., Chrys., Cyr. Alex., Theodoretus, Ioa. Dam. — Tert., Hieron., Haymo Halb., Thom., Herv., Lyr. — Cum nullus sit qui huic interpretationi adversetur, iure merito etiam communis Patrum dicenda erit.*

3. a) *Glossolaliae prodigium locum habuit in ore apostolorum et discipulorum, iuxta Orig., Gerg. Naz. (hanc praefert), Greg. Niss., Chrys., Cyr. Alex., Theodoretum. — Philastrius, Aug., Eugyp., Paulin. Nol. (probabilius), Leo M., Prosp. Aquit., Max. Taur., Ennodius, Greg. M. — Beda 1^o, Thom. Lyran. 1^o, Caiet.*

3^b. *Dissentiunt tamen, et prodigium ponunt in auditū plebis: (Greg. Naz. nominat), Basilius de Seleucia, Beda 2^o [aequiprobabiliorem dicit], Ernald. abb., Lyr 2^o.*

Notandum: ex his quatuor, Greg. Naz., cum hanc solum nominet, et contrariam sententiam amplectatur, nequit pro ipsa citari; opera ista Bas. de Seleucia dubia habentur; Beda errat sententiam hanc Greg. Nazianzeno tribuendo; Lyr, ambas admittit: Ergo solus Ernaldus, ab., ut strictè defensor huius sententiae afferri potest.

—Est ergo sententia moraliter unanimis Patrum et veterum doctorum prodigium fuisse in ore apostolico et discipulorum qui cum eis erant in Pentecoste.

4. a) *Donum linguarum datum esse "ad praedicandum" ut sc. apostolis facilior via pateret ad instruendas gentes diversae linguae, asserunt aut supponunt clarè: Orig., Greg. Niss., Chrys., Const. Apost., Theodoretus, — Hieron., Paul. Nol. 1^o, Max. Taur. 1^o, Cassiod., Isid. Hisp., S. Bern., Thom. Lyr., Caiet 1^o. — Et videtur etiam Bonav. — 4 β) Pauci, sc., Theophilactus Paul. Nol. 2^o, Max. Taur 2^o, et Caietanus 2^o de "oratione ad Deum" explicant. — Fatendum est ergo vulgatissimam fuisse primam sententiam.*

5. *Glossaliam esse donum supernaturale, a (Deo vel) Sp. s. concessum, (non quid naturale vg. emotionem psychologicam, enthusiasmum mysticum, etc, ut recentes negatores adinvenerunt), unanimis est sententia Patrum et veterum scriptorum: Iren., Orig. Cyr. Hier., Chrys., Cyr. Alex., Theodoretus — ps. Cyp., Philastrius, Ambrosiaster., Hieron., Aug. Paul. Nol., Leo M., Max. Taur., Ernod., Greg. M., Isid. Hisp. — S. Bern., Pet. Lomb., Thom. Bonav. Hervaeus, Lyr. Caiet., Illud. Hug. a S. Vict. 2^o "de locutione emphatica", strictè loquendo, posset haberi ut mere naturale.*

6. *Finem* apologeticum, pro demonstratione *praesentiae* Sp. sancti inter ipsos fideles, affirmant plurimi: Chrys., ps. Oecum. — Aug. Eugyp., Leo M., Theophilactus, Fulg. Rusp., Bonav. Hervaeus — Simul vident finem symbolicum *unitatis* futurae gentium sub Christo: Aug., Eugyp., Fulg. Rusp.; cum Iren. Cyr. Hier., Max. Taur. Greg. M., qui tacent de primo.

7. In Pentecoste vident saepissime Patres antitypon Babelis: Orig., Greg. Naz., Chrys., Cyr. Alex. — Philastrius, Aug., Prosp. Aquit., Max. Taur., Cassiod., Greg. M. — Beda, Haymo Halb., Thoma, Lyr.

8. Differunt praesertim in interpretatione I Cor. 14, 22 "linguae sunt in signum infidelibus" sumentes *signum*, in *bonum* vel *malum* infidelium. α) *esse ad eorum conversionem* admittunt: Chrys 1°, Const. Apost., Isid. Hisp., Pet. Lomb. Thom. Lyr. Caiet. β) ad eorum admirationem vel stuporem: Chrys 2°, Theodoretus, Ioa. Dam., Theophilactus. γ) ad correptionem vel poenam: Greg. Naz., ps. Oec., Ambrosiaster.

Nequit ergo loqui de sententia unanimi, nec simpliciter communi.

ERGO:

Sententia *unanimis* Patrum est 1) glossolalam consistere in locutione in linguis peregrinis, 2) phaenomenum Act. 2. identicum substantialiter I Cor. 12-14, 3) prodigium fuisse *oris*, non auditus; 4) esse donum supernaturale a Sp. s. concessum.

Sententia *vulgatissima* est tale charisma 5) datum fuisse ad praedicandum; et *sat communiter* docet quoad ipsos fideles glossolalam esse 6) signum demonstrativum *praesentiae* Sp. s., vel symbolum universalitatis Ecclesiae; atque 7) Pentecosten esse antitypon Babelis; quoad infideles vero 8) *dissentiant* omnino utrum in eorum poenam vel bonum datum fuerit.